

etsi tu a mentalibus nunquam absis. illarum gravitas apud unum quenque legentem te senem efficit. miratur omnis quod tam iuvenis annis taliter sentire possit. Ciceronis stilum te sequi, omni adulatione, omni alia semota affectione, testantur. ego vero tue conditionis non inscius pre ceteris admiratione repleor, quomodo sophismatibus garrulis circumcessus tantum oratoris gradum scandere et, quod plus est, retinere valueris. recentia enim vetera obruunt, nilque vulgaris prodit^(a) memoria nisi ad quod non sepe respexit. sed in hoc proposito permanere te hortor, illius infasti scopuli⁽¹⁾ lucidum lumen et fama. dicere audeo quod tu longam illi addes memoriam. notior ex te quam tu ex ipso erit ille profecto. non te terreat, rogo, ab hoc tam alto calle ulla inopia. memor es Lucani tu: « fecunda virorum paupertas »⁽²⁾. da michi a principio divitem in summo scientie fastigio collocatum; necessitas pauperes sollicitat ad virtutem. nosti quod dixit Democritus: divitias proiecit, onus illas bone mentis existimans⁽³⁾. et quid plura? expecto ut dicas: « plenus venter facile de ieuniis disputat »⁽⁴⁾. non sum ex hoc commotus nec taceo rubore perfusus. que assero, ratio perficit, veritas roborat. hec non querit angulos nec latebras appetit. contraria opinio fluctuat nec quicquam habet solidi. non affluo tamen divitiis, quanquam fatear michi nunc arridere fortunam. hoc michi auspicatus es, huius rei inscius. scripsisti enim nisi michi bene sperare non posse, qui ab illis scopolosis littoribus me removi. a festo sancti Martini fui et sum patriarche Aquileiensis in temporibus generalis vicarius. salarium ducentorum ducatorum michi constituit, tantundem ex honesto lucro percepturo. fateor hoc statu, mee persone qualitate inspecta, contentum esse debere. gradus altus michi est, lucrum grande, libertas leta, amicitie multe, a longo tempore acquisite, affinitates preclare, patrie et patrimonii mei vivi cinitas, coniugis honestas et fecunditas, et liberorum dulcedo. hec omnia tamen me felicem facere non possunt. animus ille est^(b)

(a) *C M* nique perdit (b) *Gu Alius ille est*

(1) Cf. l'epist. LVIII, p. 137 r. 24.

(2) *Luc. Phars.* I, 165.

(3) *Sen. Dial.* lib. II, « De Prov. », VI, 2.

(4) Il proverbio, che suona pure

« Qui satur est, pleno laudat ieuniia
« ventre », pare citato qui da s. HIERONYM. *Epist.* LVIII, 2.

dettate con gravità tale che suscitano l'universale ammirazione.

Tutti confessano che il giovane scrittore segue Ciccone.

Soprattutto stupisce come in mezzo ai dialetici sofismi egli abbia raggiunto e conservato un grado si alto di eloquenza.

Lo esorta a proseguire nella via intrapresa, e acquistare così fama per sé e per l'infusto scoglio nativo.

Né si sgomenti per l'attuale sua povertà, che è anzi sprone a virtù, come attestano Lucano e Seneca.

Comunica la propria nomina a vicario del patriarca di Aquileia, ufficio quale l'amico gli desiderava.

Ma i vantaggi procuragli da ciò non lo possono render felice;